

eorum poenitentiam agat, nisi excitante Spiritu Sancto, II. Cor. III. 5. VII. 10. Nemo potest peccatorum atrocitatem, poenasq; iis debitas easque æternas, peccatis deberi credere, nisi animum commovente per verbum Spiritu Sancto. I. Cor. II. 14. 15. Nemo potest Jesum pro medico peccata sanante agnoscere, aut eundem *Dominum dicere, nisi in Spiritu Sancto.* I. Cor. XII, 3. Et tamen hæc omnia fidem, qua justificat, antecedunt. Sunt enim Spiritus Sancti operationes in efficienda fide occupatæ, quas acceptat homo, antequam credit. Quo pacto vi hujus dicti veræ preces erunt, quæ ab homine nondum converso eum in finem funduntur, ut convertatur.

XVI. Ipsa hæc S. Literarum fundamenta confirmant III. Libri nostri Symbolici, in Catechesi minori pariter & majori. Nam in illis petitio illa orationis Dominicæ, qua petimus: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris,* proponitur, & iis, qui venialiter, & iis, qui mortaliter peccarunt, adeoque & conversis & non conversis, quotidie ad DEUM dirigenda. Et in minore quidem hæc adjicitur ratio, *quia quotidie multifariam peccamus & nil nisi poenas mereamur.* Quod utrum de venialibus tantummodo peccatis dicatur, merito dubitari potest, cum & pio proboque contingat, ut improborum societati immixtus ad aliquod tempus ex proæresi peccet & in se rediens eo promptius ad orationem Dominicam confugiat, illudque eo ardentius inclamet: *Pater remitte mihi.* Præterea id, quod in petitione adjicitur: *sicut & nos remittimus debitoribus nostris,* idem confirmat; Eo enim commovere DEUM intendimus, ut quemadmodum velit, ut, qui in nos deliquerunt, iisdem delicta condonemus, etiam ea nempe, quibus voluntarie & graviter in nos deliquerunt, ita & DEUS Pater noster, delicta nobis graviora, exemplo patris filii prodigi, remittat. In majore vero Catechismo clarius exprimitur, quænam peccata in quinta petitione intelligantur. Nempe non quotidiani tantum lapsus, sed & quando *modum excedimus* & aliquando impatientia, iracundia, ultione etiam *succumbimus*, quibus *conscientiæ tranquillitas turbetur & fiduciam Evangelii amittamus.* Quæ non possunt esse tantum venialia peccata. Quare & celeberrimus Librorum Symbolicorum interpret, *Carpzovius*, per peccata nostra in hac petitione intelligi,

qua